Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1565
Quelle:
Copyright:

Magiſtri narciſſi Phiſter ordinis fratrum predicatorum Regentis in colonia. Anno domini 1408. Ante Aduentum Domini. Eſt vero: *Vtrum Doctor katholicus — doctrinam debeat pretermittere per quam ſubditus ſibi grex eſt ſcandalizatus ex infirmitate.* Deciditur pro dilatione ejusmodi doctrinae. De *Narciſſo* nihil in Bibliotheca *Ord.* Initium ſecundae: *Sedens docebat de nauicula turbas. Luc. 5. Omnem mortalium progeniem ob prothoplaſti delictum* &c. Praevie dicit Orator: *reſumo Thema de Nauicula, quod in alma Vniuerſitate Bonum mihi familiariter deſponſatum pridem deduxi per collaciones varias.* Et reipſa *Cod.* CCCCXVI. *Collacio* in idem Thema relata fuit, cumque praeſens manum *Petri de Pulka* arguat, etiam illa ad hunc pertinere videtur. Initium tertiae: *Venite aſcendamus ad montem domini &c. Yſa. 2. Mich. 4. Gregorius 23. Moral. exponens illud Job c. 33. ſcriptum, ſemel locutus eſt deus* &c.

XVIII. *fol.* 297. *Sermo* habitus fortaſſe in Synodo *Conſtant.* de Laudibus S. *Bernardi* in illud: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur* &c. *Luc. 18.* Initium: *Symon de caſſia L. 6. poſt medium de vita chriſtiana exponens predictum paſſum* &c. Multa de *Bernardi* laboribus pro unione Eccleſiae, et ſub finem: *En igitur glorioſus doctor hoc pernicioſum ſciſma laboribus ſedauit. Rogemus dominum ut ſuis meritis hoc preſens tollat et vnitatem reſtituat eccleſie ſacroſancte ſuis precibus* &c.

XIX. *fol.* 304. *Vtrum in Monarchia mundi principalior ſit poteſtas Petri quam erat Conſtantini.* Affecta tantum diſquiſitio, multumque interpolata.

XX. *fol.* 312. *Sermones* ſacri III. Primus in illud: *Hi ſunt viri miſericordie. Eccl. 44.* de *Petro* et *Paulo* Apoſtolis, referendus *Cod.* DCCCCLXIX. cum Autore *Petro de Pulka*, cujus hic αὐτογραφον. Alter de Paſſione Domini in illud: *Triſtis eſt anima mea usque ad mortem. Math. 26.* hoc initio: *Si pſallente propheta audiam, quod peccatori dixit deus, quare tu &c. Si rurſum conſiderem* &c. Tertius de S. *Colomanno* Mart. idem, qui jam N. 7. indicatus fuit. Ejus initium: *Faciem ſuam firmauit ut iret ieruſalem. Luc. 9. Tocius ſanctitatis regula et exemplar B. Auguſtinus* &c.

CCCCXVII.

Codex chartaceus lat. germ. 646
Sec. XV. Folior. 196. 4. non ab una manu profectus hanc praefert ἐπιγραφην: *Joannes Schröter ſibi grateque poſteritati.* Medici hujus patria *Vinmarienſis*, eque *Viennenſi* cathedra ad primum *Jenenſis* Academiae Rectoratum evocati Vitam *Oratione* illuſtravit *Zach. Brendelius*, cui addi poſſunt, quae de eo in *Scriptt. Univerſit. Vien. P. III. Sec. 3.* p. 11. et in vernacula mea *Typogr. Vien. Hiſtoria* habentur.